



**Illustrissimi Marchionis Scipionis Maffei Historia  
Theologica Dogmatum Et Opinionum De Divina Gratia,  
Libero Arbitrio Et Prædestinatione**

**Maffei, Scipione**

**Francofurti ad Mœnum & Moguntiae, 1756**

Illustrissimi Viri M. Scipionis Maffei Veronensis Elogium Ac Res Gestæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95061](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95061)

ILLUSTRISSIMI VIRI  
M. SCIPIONIS MAFFEI  
VERONENSIS  
ELOGIUM  
AC RES GESTÆ.

AUTHORE  
FRIDERICO REIFFENBERGIO

Soc. Jesu Presbytero.









**V**ix renuntiatum nobis erat de acerbissimo Illustrissimi hujus viri funere: cum rogare illico me cepit librarius, ut pro more inter literatos dudum recepto brevi quoque elogio Maffei res gestas complecterer. Fore enim hoc pacto, ut, ubi lector, quis, quantusque Maffejus fuerit, cognosset, majori longè cum voluptate, ac fructu Theologicum hoc Opus evolveret. Aequa sanè omni ex parte erat postulatio; videbanturque defuncti Manes idipsum ob plurima cum in me, tum in rempublicam literariam merita suo quasi jure exigere. Morem tamen per id tempus gerere nondum poteram; propterea quod nec satis esset ad scribendum otii, nec quantum fas erat, suppeteret materia. Quare ampliandum tantisper consilium fuit, dum plura de viri hujus literatissimi lucubrationibus ex Italiâ cognoscerem. Præstitit hoc nuper cumulativè humanissimis suis ad me literis Ornatissimus, clarissimusque vir JOANNES FRANCISCUS SEQUIERIUS: cujus quidem testimonium hanc in rem eò cuivis debet esse gravius, quod per annos omnino duos supra viginti hunc in suis Maffejus habuerit; laborum ubique socium, itinerum comitem, penitiorumque consiliorum conscium. (a) Ex hujus itaque literis potissimas tibi res depromptas habe amice lector; brevi tamen stylo atque, ut plurimum succincto; quod sciam, esse jamtum in eo scriptorem quendam Italum, ut viri hujus eximii vitam libro integro exponat.

1. LUCEM itaque primam aspexit Maffejus Veronæ, antiquissimo Italiæ oppido Kalendis Junii Anni MDCLXXV. Indita ei duo fuere in baptismo nomina: FRANCISCI nimirum & SCIPIONIS, quorum tamen postremum suis postea in libris atque epistolis unice adhibuit. Patrem nactus est Illustrissimum Marchionem JOANNEM FRANCISCUM, & Matrem SYLVIAM PELLEGRINI, nobilissimam feminam, atque Mantuanæ quondam Archiducis domicellam honorariam. Fratres habuit duos; ANTONIUM, & ALEXANDRUM. Prior caput evasit familiæ, alter Mantuæ (b) per annos complures Gubernator extitit.

CÆTERUM Maffejorum familia & illustrissima est; & antiquissima, suosque Bononiæ natales habuit. Turbatis porro Gibellinorum, Guelphorumque factione per Italiam, Germaniamque rebus, desertâ statione veteri, Forum Livii, ac Veronam commigravit. Censuit autem ea Urbs jam indè à Sæculi XIII. exitu plures Maffejorum stirpes non minùs sanguine, ac prosapia, quàm viris omni virtutem, dignitatumque genere conspicuis illustres. Eminuerunt hos inter, ac chorum ferè duxerunt Purpurati tres Principes, quorum primus à Paulo III, alter à Pio V, postremus à Paulo V. in Eminentissimum Collegium fuit cooptatus. (c) Hos subinde consecuti sunt complures in Basilicâ Lateranensi Canonici, summis pariter indignitatibus collocati; Illustrissimus item Tímotheus, qui recusato Mediolanensi Archiepiscopo.

(a) Testatus id suis ipse literis mihi fuit vir Cl. 5tâ Maji 1755, in hæc rescribens verba: *Sappia V. R. che sono quell'amico del Marché. Scipione, che ha passati venti due anni di sua vita con lui, e à cui questo Sigre ha lasciato pel suo testamento tutte le sue Carte, memorie, e fogliolini, e altre cose per me preziosissime. Tutto ora si allestisce per fargli onore di tutto quello, che si potrà dirci.* (b) Impressæ hujus fuere ephemerides anno 1737. (c) Marchio Bernardinus, & Marcus Antonius, Fratres, demum Honorarius Maffei.

Maffei  
ortus, &  
familia.



patu, Ragusæorum creatus fuit Episcopus; atque ut alios omittam, Augustinus demum Maffei, vir Urbi à rei antiquariæ studio, excitatioque ibidem Museo instructissimo notissimus.

Educatio.

2. SCIPIO noster primam pueritiam, ætatemque huic proximam sub Matris religiosissima & moderatoris domestici disciplina ferè exegit. Ablegatus inde ad Parmense Collegium est, ut omnigenâ ibidem nostris ab hominibus excultus literatura in solem demum, ac pulverem prodiret. Est Parmense hoc seminarium unum ex celeberrimis totius Italia; quò nonnisi nobiles confluunt, omniaque ea docentur, quæ virum illustri natum stemmate scire juvat, ac convenit.

Studium  
Poeseos.

3. HAC egressus domo spectandum se Orbi literato dedit Maffejus; atque ad poësin quò maximè semper propendebat, præ ceteris adjecit animum. Scripsit epigrammata, aliæque non pauca poëmata, stylo quidem ac more per id tempus Lombardis solenni. Verùm ubi Romam primum attigit, intellexit facili non optimorum se Magistrorum pressisse vestigia. Venit itaque stylum, atque ita se totum breve intra tempus refinxit; ut, quos feliciore ibidem Minerva versus procuderat, solertiores etiam poëta probarent, collaudarentque. Plausum inter reliqua non mediocrem tulit scriptum eo tempore Principi Pedemontano Genethliacon; ejus ita avidè paucos intra dies arrepta fuere exempla, ut altera mox flagitaretur, curareturque editio.

4. URBI, ac Musis notior adlectus ultro fuit inter poëtas ARCADES; (d) ORITTI BRENTIATICI nomine horum in cœtu compellatus. Ex quo tempore magis semper, magisque non vernaculâ modò, sed & latinâ in poësi efferre caput cœpit, utroque semper in idiomate pari cum felicitate versatus. Vidisses eandem ubique vim, atque elegantiam, eandem scribendi facilitatem, sententiarum pondus, inventionis ac dispositionis laudem. Italicam tamen præ aliis adamare, atque eo passim in pretio habere observatus, ut aptiorem poësi præ linguâ vernaculâ nullam aliam censeret. Non magno proinde apud eum loco erant Poëta Galli, quorum celebratissimi quoque vix ei videbantur à *versificatoribus* differre. Ipse quidem in vario se versuum genere exercitavit. Cessere tamen ut plurimum ei felicius versus ἀρπυγμοί, cujusmodi apud Italos sunt illi quos Galli appellant: *des vers blancs*. Non prætereundum hoc loco, quod ante quàm Romam se conferret, anno nimirum 1698. Mediolanum, ac Genuam profectus fuerit, ut hic quidem P. PASTORINIUM è Societate nostrâ Presbyterium, ibi verò Cl. MAGGIUM, ambos ab arte poëtica per id tempus celebratissimos audiret, atque inviseret.

Emenda-  
rio poësis  
Lombar-  
dica.

5. Ex horum deinde, Romanorumque Vatum quotidiano congressu id facile retulit commodi, ut Lombardos, ac Veronenses ad nobiliorem cogitandi, scribendique rationem primus ipse deduceret. Accidit à suo ex Urbe reditu, ut literato cuidam cœtui (quos Itali *Academias* vocitant) & ipse aliquando interesset. Recitabantur varii tunc generis, ac formæ versiculi; sed qui incompti essent, ac malè pro temporum istorum infelicitate, tornati. Quid faceret vir patriæ, ac suorum studiosissimus, ut malo medicinam afferret? Audite consilium! Composuit mox ipse centonem aliquem, cui tot undique affuit ejusdem notæ lacinias, ut ex ridiculo hoc apparatu erroris facile commonerentur Academici. Quod quidem strategema adeò processit feliciter, ut eo ex tempore alium longè vultum sumere poësis cœperit.

Academia  
nova con-  
ditur.

6. Permissè sub idem ferè tempus Romani ARCADES, ut Veronam eodem sub nomine poëtica deduceretur colonia. Excepta ea fuit ingenti à po-

(d) Inter Academias Romanas celebris est *Academia Pastorum Arcadum*. Habet hæc conventus suos cum privatos, tum publicos, quos suâ non semel præsentia Purpurati Patres, atque ipse etiam Romanus Pontifex Bened. XI V. cohonestare dignatus est. Academia insignia sunt septem satyrorum sista, cum subscriptione: *gli Arcadi*. Membra illius sunt viri quovis ex ordine literatissimi, qui Præsidi Generali Arcadiæ Custode statis diebus poema aliquod, vel epigramma recitant. Cum quis albo inseritur, nomen sortitur *Arcadicum*; quo his deinceps in congressibus appellatur.



pularibus plausu, lætitiæque significatione. Præses illi continuo datus laudatus, sæpe Maffejus, qui quidem id oneris in se non invitatus recepit, primòque statim congressu luculentà ad socios Oratione usus est, quam mox prælo subjecit Academia.

7. CONSTAT satis inter Italos, quantam Cl. Maggi eà sibi tempestate apud eruditos à versibus famam conciliavit. Sumferat vir iste imitandos sibi Poetas plures, eosque præstantissimos, mutavit, correxitque non pauca; plurima etiam de suo adjecit, idque hæcenus successu minimè pœnitendo. Versabantur versus ejus in ore omnium, nec reperire erat hominem, qui satis auderet censuram in eos exercere. Unus inventus est Maffejus, qui non eodem quo ceteri eos dimensus modulo, deprehendit non pauca obelo figenda. Edidit eam ob rem à morte Authoris crisin eruditam in hæc poemata, quæ ubi lucem subiit, detrivit de MAGGI laudibus haud parum, minuitque numerum omnia olim hoc in poëta admirantium. Verùm nè ea, quæ de poëtica Maffei facultate dicenda restant, ab hæcenus enarratis se jungi contringat, notari cumprimis velim, non dramatica modò ab ipso conscripta fuisse opuscula, sed & versiones adornatas complures, easque concinnas admodum, atque elegantes. Censeri hoc nomine merentur primi tres libri Iliados; Cantica duo Moyfis, & unum Debbora, psalmi complures, aliaque hujus generis, quæ ex Græco, & Hebraico Italicè reddidit. Arithmeticae canones versu latino complexus est, eoque facili, ac perspicuo. Atque nè per omnia vagari necessum sit, sat erit lustrasse elegantissimam ejus in *Gallia Antiquitates* præfationem, & quam *Musæo Veronensi* devexa jamtum ætate præfixit nuncupatoriam. Argumento certè ambæ luculento erunt, debuissent nunquam in eo æstum poëticum.

8. INTER Musas equidem & Martem rarò convenit. Silent quippe inter arma leges, & lycæa, lucubrationesque eruditorum ceteræ non minùs, quàm poëticae *secessum scribentis, & otia querunt*. Maffejus tamen nè nihil, in quo solertiam posset testatam facere, intentatum relinqueret, militiæ quoque tantisper nomen dedit, togatam non minùs Palladem, quàm armatam secuturus. In Bavariam itaque concessit, & Parentis sui ductu, atque auspiciis inter volones meruit. Quam verò in otio armaturam didicerat, tum vel maximè exercuit, quando commissis inter se ad Donawerdam Gallis, & Bavaris prælio interfuit, & victor cum Bavaris domum regressus est.

9. FACTO hoc armorum periculo ad Musas mansuetiores rediit, scripsitque laudatissimum illum librum *de scientia equestri*; (e) in quo ridendam proponat scientiam illam pseudo politicam, vel potiùs imaginariam, quæ docet, quo pacto reperenda de adversario vindicta sit, alique possint multos in annos odia. Liber hic adeò dextero scriptus fuit Mercurio, ut haud multò post execrabilis hic agendi modus abierit planè in defuetudinem. Uni certè Maffejo in acceptis refert Italia, quod impiæ ejusmodi artes ejus hortatu, ac operâ prorsus jam obsoleverint: Statuerat equidem Author librum eundem incudi reddere auctiorem, atque ad aliarum etiam Nationum mores, ac genium ita accommodare, ut fructus ejus non solis conclusus alpibus latius etiam manaret. Verùm optima hæc studia fatum interceptit. Docuit Noster hoc ipso in libro cum communione eruditorum, Equestrium virorum ordines altiùs, quàm ab *expeditionibus cruciatis* repetere originem non posse; ideòque ludere operam illos, qui *Constantiniani Ordinis* initia à Constantino Imperatore conantur derivare. Præbuit disquisitio hæc alteri rursus occasionem libello, quem Author inscripsit: *Fabula Equestris Ordinis Constantiniani*. In quo argumentis planè *etiam tunc* evincit, Græculos illos, qui ad Byzantinos Imperatores genus suum, ac prosapiam referrent, non esse nisi nugivendulos, atque impostores, quorum Coryphæus ad trirèmes fuerit damnatus.

(e) Della Scienza Cavalleresca.



*Amor in  
patriam.*

10. INCREDIBILE dictu est, quanto erga patriam, ac populares flagrat studio. Urebat virum Optimum, quod videret Italorum lucubrationes à quibusdam Ephemeridum in Gallia Scriptoribus non magni admodum fieri. Quare nè etiam Italiae periodici id genus libelli deessent, author fuit Clarissimis viris *Vallisnerio*, & *Apostolo Zeno*, ut materiam Operi comportarent. Se quoque, quantum per negotia liceret, suam libenter collaturum symbolum. Et verò res satis processit; proditque primum hujus generis volumen ad annum Christi 1710. (f) Præfatio, quæ Ephemeridum omnium historiam complectitur, Authorem habet Maffejum. Liber ipse aliquas suorum etiam Operum analyses exhibet. Satyræ tamen hinc inde intersæ alia planè à manu, quàm his à Triumviris profectæ sunt.

*Theatri,  
& Dramatum  
cura.*

11. POST hæc Theatri etiam Italici sibi curam sumsit, deditque operam, ut quos dudum notaverat, emendarentur aliquando defectus. Eò enim processu temporis res venerat, ut soli in theatris dominarentur joci, ac saryræ, eæque sæpe Venerem olentes. Dramata in meram nugarum farragine abierant, aliudque videre non erat, nisi scenarum malè contextarum lacinias, ac cumulum. E Gallis quoque petebantur ludi, verum adeò mutilati, ac deformati, ut alium planè partum crederes. Placebant nihilominus plebi, magnisque celebrabantur laudibus. Maffejus ut labem hanc derergeret, crisi edidit in celeberrimam *Cornelii* tragiæ; (g) conatusque est instillare lectori æstimationem optimorum Sæculi superioris dramatum, eorumque nonnulla semel atque iterum in scenam adduxit, populo plaudente. Scripsit usque adeò ipse tragiæ, quam dixit *Meropen*. Placuit hæc vehementer, omnesque qui eodem in argumento ante Nostrum versati fuerant, longè superavit. Habetur hæc etiamnum inter excellentissimas hoc in genere, & non obstante aliquorum crisi, ætatem tulit. Extant multæ ejus editiones, ac varix, legiturque hodie Gallicè, Germanicè, Anglicè. Cl. VOLTAIRE versionem suam dicavit Marchioni, allatâ simul causâ, cur quandoque ab autographo discesserit. Invenit tamen Marchio, quod in versione hac reprehenderet, eaque de re edocuit interpretem. Vulgata quoque typo hæc crisis fuit; fuitque eidem responsum. Neque hic stitit Maffeji cura, plus etiam in revocandis ad theatri leges Italorum poetarum fabulis operæ posuit. Collegit ex optimis, quas quidem Italia viderat, tragiæ admodum duodecim, imprimi curavit omnes, atque tribus comprehensas voluminibus emisit. Verum operæ pretium vix tulit. Rediit facillè ad ingenium cum mimis populis, raroque spectandæ dantur tragiæ ad Canones exactæ; Comædiæ passim sunt pejores. Edidit nihilominus Comædiam hoc titulo: *le Cerimonie*. Quæ ambabus excepta fuit manibus, atque in hunc usque diem sæpissime reponitur. Composuit etiam drama musicum, inscriptum: *la fida Ninfa* verum quod non perinde placuit, ac superiora. Demum inclinante ætate scripsit Comædiam, quam vocavit *il Raguet*. In quâ ob oculos posuit Italis quàm ridiculum sit aliis ex idiomatibus syntaxes mutuari ac vocabula, eaque in comædias, ceu eandem in ollam, interere. Fabula hæc licet utilissima non tamen sat hilaritatis, habebat ac joci, ut Italico in theatro plausum auferret, eamque ob causam, post primam repræsentationem veneram, requiri desit.

*Græcæ  
linguæ  
studium.*

12. HINC ad aliud literarum genus antequam progrediamur, animadversione prorsus dignus est amor, quo Græcam in linguam ferebatur. Sciebat sanè eam omnis sapientiæ thesaurum, ac fontem esse, atque sinè eâ eruditionis consequi apicem velle idem prorsus esse, quod sinè velis, remisque navigare. Quapropter accersuit Venetiis *Panagiotum*, Græcum hominem Synopeo natum parente. Aluit hunc annos complures domi suæ eâ lege, ut quoscunque eò affici viros intelligeret, Græcam ipse linguam ultro ac gratis

(f) Scripsit hujusmodi deinde libellos Cl. Lamy, & post ipsum nuperrimè ex nostris P. Zacharias; qui res etiam transalpinas cepit complecti. (g) *la Rhodogune de Mr. Corneille*.

doceret



doceret. Prodierunt hujus è Scholâ viri plures literatî Veronæ. Migravit Græcus hic præceptor postmodum Brixiam, ubi & fatis concessit. Maffæus verò quàm gnarus idiomatis hujus fuerit, non semel tot suis in Operibus planum fecit.

13. MULTUM certè linguæ hujus notitia adjumenti attulit, ad studium rei antiquariæ, veterumque MSSos interpretandos codices. Dedit his securis si unquam aliàs, tum maximè, quando incredibilem ex Capituli Cathedralis tabulario MSSorum copiam in lucem protraxit, situmque ac pulverem deterfit tot erosis vetustate chartis, quas frustra aliis in locis literatî investigaverant. Aliam planè eo ex tempore sibi studiorum formam præscripsit. Totus quantus erat in volutandis, vindicandisque ab oblivione ἀνεκδοτοίς; quorum è numero fuere *Complexiones Cassiodorii* (h) notis ac Scholiis ab ipso illustratæ, ac primum Florentiæ, deinde etiam in Angliâ, & Roterodami excusæ unâ cum præfatione *Chandleri*. Ansam hæc ipsa præfatio præbuit concertationi cuidam literariæ inter editorem hunc, & Marchionem Maffæjum. Agebatur de dogmate. Maffæjus Cassiodorii partes tutatus est, eumque ab erroris suspitione pro virili purgavit. Fuere, quibus displiceret nomen *Cassiodorius*. Verùm docta statim dissertatio causas protulit, cur hunc potius in modum Scribendum censuerit; inter quas non postrema fuit illa, quod ita planè legeretur in Cod. MS. Habuit quoque tum temporis Marchio noster in animo Codicum illorum, ac membranarum texere catalogum, eumque publici juris facere. Verùm incidentia paulò post graviora alia negotia abjicere coegerunt consilium. (i)

14. DIMICANDUM quoque non semel fuit cum Cl. Pfaffio, & Basnagio. Pfaffius vir inter Germanos eruditione clarus Augustam Taurinorum forte se contulerat, incideratque ibidem in fragmenta quædam Græca, quæ Divi Irenæi præferebant nomen. (k) Videbanturque multum ad dogma de Eucharistiâ elucidandum asserere posse momenti. Pfaffius ea cum Maffæjo communicat. Maffæjus contrà ea habet pro supposititiis, cum quod continerent nonnulla dogmati Catholico contraria, tum alias multas ob causas, quas legere est in subjectâ his fragmentis ternâ ad Reverendissimum Abbatem Bachinium epistolâ. Similis ferè inter Nostrum, & Cl. Basnagium intercessit controversia; eoque res spectabat, ut per detectam nescio quam Chrysostomi ad Cæsarium epistolam evinceretur, in aliâ S. Chrysostomum, quàm hodiernos Catholicos, fuisse sententia de mysterio SS. Eucharistiæ. (l) Basnagius antiquas lectiones Canisii denuo typis daturus, assererat dictam D. Chrysostomi epistolam, quod Catholicis non faveret fuisse à MSto. quodam Florentino avulsam, ac concertam. Maffæjus ut hunc viro errorem eximeret, epistolam hanc integram, inviolatamque à se inventam unâ cum suis in eam animadversionibus eidem repræsentat, ostenditque esse apocrypham, nihilque posse hinc pro Protestantibus exculpi. Basnagius respondit, atque illi iterum Maffæjus, omnisque deinceps disputatio conquievit.

15. MULTA alia opuscula mero quasi casu nata, atque omiſsa à Maffæjo sunt. Huc referri potest Catalogus Italicorum, qui antiqua Græcorum, Latinorumque Opera interpretati fuere. Adjecit ipse eruditam dissertationem, in quâ numismata, & inscriptiones inter se contulit, hasque illis antetulit.

(h) Fuit M. Aurelius Cassiodorus primùm Senator, deinde S. Benedicti è familiâ monachus. Vir magni ingenii, & eruditionis. Scripserat *Complexiones in epistolas, & Acta Apostolorum*, nec non in *Apocalypsin*, aliâque nonnulla opuscula, quæ diu inter deperdita ab eruditis censebantur. Erunt ea primus omnium Maffæjus ex membranarum Veronensibus, & contra Cl. Chandlerum postmodum vindicavit. Epistolâ Maffæji subiecta fuit *Complexionibus* in editione Italica. (i) Extat tamen in editione Hist. Rheitoricæ Italica inter alia Opuscula etiam *Notizia Generale degli insigni Manoscritti, che si conservano nel Capitolo Canonico di Verona. e come si può da esso raccogliere, che il Coranere chiamato Gorico, e Longobardo altro non è, che il corsivo antico de' Romani.* (k) Extant hæc fragmenta ibid. hoc titulo: *I sane d'alcuni frammenti Greci nuovamente venute in luce col nome di S. Irenæo &c. al P. Abate D. Benedetto Bacchini.* (l) vid. epist. Maffæji ad Jacobum Basnagium.



Eodem spectat *L'Antica condizione di Verona*, quæ urbs, si Bressao credimus, Cenomannis originem suam debet; fuitque hæc sententia argumentum disceptationis literariæ, cui 1719. Maffejus interfuit. Cl. Gagliardi, vir magnâ inter Brixienfes eruditione conspicuus asserbat Veronam à Cenomannorum olim Civitate dependisse. Negabat Maffejus, momentis haud levibus demonstrans, neque à Cenomannis dependisse, oppidum neque intra eorum fines fuisse conclusum. Acceptæ nihilominus responsiones plures, datæque; dum demum Brixia prægrandi comprehensum volumine prodiit, quidquid in utramque partem fuerat disputatum. Plura hujus generis argumenta veritata ab eruditis sunt Maffejanis in ædibus. Habebantur ibidem anno 1719. multisque consequentibus congressus literarii, ad quos cuivis literatorum patebat aditus. Recitabantur ut plurimum lucubrationes variæ horis successivis enatæ; proponebantur, dissolvebanturque dubia de omni ferme genere literaturæ. Pergamus ad cætera Marchionis Opera.

*Historia  
diploma-  
tica.*

16. ANNO Christi 1727. aspexit lucem *Historia* ejus *Diplomatica*, Opus insigne prorsus, ac utile. Continetur in illo historia perpetua antiquorum rituum, puta Græcorum, Romanorum, Hetruscorum, quantum quidem ad rem diplomaticam faciunt. Habetur eodem in volumine longa digressio de Ægyptiorum papyro; ubi multa egregiè de antiquorum Cartis, scribendique more Author disputat. Incredibile dictu est, quantum hoc volumen, utilitatis atque adjumenti ad hanc adferat scientiam. Est quidem illud non aliud ferè, quàm introductio. Reservabat enim alia quàm plurima novo Operi, quod jamtum designaverat, at nunquam perfecit. Reperitur præterea docta ibidem Dissertatio de primis Italiae habitatoribus, & versibus rhythmicis; Auctarii demum loco adjunguntur antiqua quædam monumenta Ecclesiastica. Ad calcem epistolæ dedicatoriæ Sardinia Regi inscriptæ habetur delineatio arcûs Segusini cum inscriptione ejus integra, quæ tamen ad antiquam regionis illius Topographiam lucis afferret plurimum, tota tamen lecta hæcenus, intellectaque fuerat à nemine.

*Verona  
illustrata.*

17. *Verona illustrata*, quæ ad annum 1732. prodiit, eximium planè opus est plenæque disquisitionum curiosarum de antiquis Italiae populis, de forma Romani regiminis, de Longobardis &c. Notæ, & eruditæ hujusmodi observationes faciunt, ut libri hujus usus, atque utilitas latius pateat. Estque hæc non tam unius Civitatis historia, quàm diversorum morum, ac consuetudinum iis olim populis familiarium, quorum olim sub potestate vixere Veronenses. Multum etiam hic lucis affertur Sæculorum istorum historiarum Ecclesiasticarum. In libris reliquis recenset Scriptores Veronenses cum veteres, cum recentiores. Exponit quidquid omni in genere curiosum Civitas habet. Postremam Operis hujus partem infumit in describendis generatim Amphitheatris veterum, ac speciatim Veronensis cujus formam, ac decus pluribus ibidem explicat. Partus hic nulla ex parte mancus est. Dicavit eum Venetæ Reipublicæ, quæ in grati animi significationem creavit ipsum *Deductorem militis*; (m) quod quidem munus magno ibidem habetur in pretio, nec obvenire solet, nisi paucis, ac ferè totius ditionis Venetæ primoribus.

*Itinera in  
exteris  
regiones.*

18. ANNO 1732. iter fecit Author Illustrissimus in Galliam, indè Angliam, Hollandiamque percurrit ac demum per Austriam ad suos viam relegit. In Gallia cum erat, lustravit provincias Australes regni, visurus ibidem lapides, Codices, rudera, statuas, anaglypha, aliaque, quæ ibidem asservantur monumenta. Observationum suarum testes habet *Antiquitates Gallia* prælo postmodum commissas. Parisiis summi ei honores habiti non solum ab Academia *Inscriptionum, bonarumque artium*, quæ suum in cœtum, sedet ab Eminentissimo Fleurio, virisque aliis illustrissimis qui suam illum in ami-

(m) Veneti appellant: *Condottiere* d'uomini arme. (n) *l'Academie des inscriptions, & des belles lettres.*

ciam,



citiam, ac familiaritatem adlegere. Plura hâc de re videre est in Historiâ hujus Theologicæ Proœmio, quò Lectorem curiosum remittimus. Oxoniæ Universitatis membrum renuntiatus est, Doctorque Juris creatus. Paucis: quoquò demum diverteret, exhibiti fuerunt illi honores amplissimi, certaruntque passim doctissimi de adeundo, salutandoque viro totâ dudum Europâ inclyto.

19. VERONAM ut rediit imprimi curavit Ephemerides fratris sui Alexandri, in quas celebriores complures Sæculi hujus expeditiones suavi admodum scribendi genere illigavit; quamobrem opusculum hoc quod anno 1737. in Italiâ primum prodierat, continuò versum fuit gallicè, & triennio post in Hollandiâ recusum.

Veronam  
redit, &  
scribit  
fratris res  
gestas.

20. ACCIDIT sub hæc, ut Cl. *Apostolo Zeno* Viennam migrante ephemerides, atque *προνόηται* literaria ad tempus intermitterentur. Doluit id vehementer Maffæo; maximè cum videret insignia multa Italorum opuscula nullo ferè in censu esse, atque à multis, quòd ignota essent, penè pro nihilo putari. Adjecit ea propter animum ad conscribendas *observationes literarias*, quæ continuationis instar essent Italiæ. Sex impressa sunt volumina, inserta iisdem propria complura opuscula. Bene multa hic capita reperias, quæ non tam narrationem merè historicam, quàm accuratam de materiâ subjectâ differationem contineant. Multus hic sermo est de itineribus rei antiquariæ, ac præcipuè Hetruscorum monumentorum causâ susceptis. Tribus admodum libris agit de natione Hetruscâ, idque pulcro ordine, ac serâ nusquam interpolatâ. Pluribus hæc persequi supervacaneum videtur, quando in omnium pene manibus hi libelli sunt.

21. QUANQUAM tot jam nominibus existimationem, atque omnigenæ sibi eruditionis famam ubivis ferè gentium comparâset, volebat tamen admove re rursus manum, ac ferè supremam imponere Operi, quod dudum animo informârat, magnâque ex parte perfecerat; quò nimirum extaret apud posteros sui erga rem antiquariam studii *monumentum* quovis ære perennius quod non imber edax, non Aquilo impotens possit diruere, aut innumervabilis annorum series, & fuga temporum. (o) Triginta amplius anni erant, cum tabellas, urnas, cippos, inscriptiones, statuarum busta, anaglypha & quidquid hujus generis est colligere cœperat, ut insigne aliquando inde *Museum* (p) confurgeret. Delegit suppellectili huic ritè distribuendæ vastum, illud spatiosumque atrium, quod ante Palatium *Academia Harmonicæ* visitur. Videbat equidem non posse ejusmodi res perfici sine magno sumptu, atque impendio. Non destitit tamen unquam à proposito; itinera suscipiebat bene multa, ac molesta, ut Româ, vel aliunde, quæ desiderabantur, comportaret. Quovis monumenta hæc redimebat pretio, non pauca etiam simulacra alterius generis cum Inscriptionibus commutabat. Quâ industriâ id demum consecutus est, ut majorem hoc in genere thesaurum possideret, quàm ostentare vulgò soleant aulæ Principum. Dono porro omnia hæc obtulit reipublicæ literariæ, suas quæque in classes digessit, æri incidi curavit anaglypha omnia, *Musæoque suo Veronensi* magnam inscriptionum vim inseruit, ut, qui ipsos consulere lapides non possunt, habeant hic saltem, unde animum erudiant, atque oblectent. Haud absimili olim Augustæ Taurinorum perfunctus labore fuerat, quando regnante Victore Amedeo eodem ferè modo inscriptiones, quas illius jussu undequaque conquieserat, in Universitatis porticu collocavit, ac distribuit, quo etiamnum in loco Antiquariæ rei peritis spectaculo sunt, & admirationi. Plura hoc de opere hic afferre nil attinet, siquidem notum satis est, & per celebriores ubique Bibliothecas dispersum.

Museum  
Veronen-  
se.

(o) Hor. l. 3. od. 30. (p) Italia magnam hujusmodi Antiquitatum collectionem vocitare solent *Musæum*, cujusmodi est in Collegio Romano *Kircherianum*, aliæque in Urbe plurimæ.



*Ars criti-  
ca lapida-  
ria.*

22. APPLICUERAT huic jam dudum studio mentem vir eruditissimus, quoque magis in Antiquariorum syllogas aciem intenderet, advertebat facile scaterere illas lapidibus multis apocryphis, inscriptionibus mendosis, imperitè exscriptis, explicationibus contortis, ac frigidis, nullum esse in iis ordinem, ac legem, multaue id genus desiderari alia. Venit itaque in mentem conficere Commentarium aliquod, hoc insigniendum titulo: *Ars critica lapidaria*. Derecturus in illo erat errores scribentium & Chalcographorum *σφάλματα*; traditurus itidem regulas, certosque Canones, ad quos exigendi essent lapides, quique lapides sinceri ab adulterinis, ac spuris distingui possent. Affectum quidem hoc opus est, at ob incidentia alia negotia ad finem nunquam perductum. Imprimeretur tamen, quidquid ex eo superest.

*Massei  
studium  
Dogma-  
ticum.*

23. VENIO demum ad studium ejus præcipuum, ac nobilissimum; ad Theologicum inquam & dogmaticum; in quo omnes se nervos intendisse, plusque multò quàm in ceteris omnibus curæ, atque operæ posuisse suâ ipse sponte fassus est in Vindiciis ultimis contra impugnatores Anonymum. Ita enim de se ipse loquitur *Jansen. nov. l. 1. c. 4. n. V. p. 402*. Maffejus contra proficitur, in nullâ aliâ se materia, quàm Theologicâ, & Ecclesiastica serium posuisse studium; propterea quòd alias facultates aut obiter attigerit, & primâ ferè ætate tractarit, aut animi potius causâ, quàm studii in his versatus fuerit. Quo factum, ut plura deinde sacri, quàm alterius studii ediderit specimina; consultans primum Leonem sapientem, Schismaticum acutissimum in materiâ SS. Trinitatis, . . . & postmodum Pfaffium, Basnagium & Chandlerum occasione aliorum dogmatum; commentans item complexiones Cassiodorii à se inventas, ac divulgatas. Studuisse ipsum etiam Theologiâ, quam Moralem vocant, satis colligitur ex schedis ac commentariolis ejus in forulis post mortem repertis; tum etiam ex præstanti ejus libro, quem extremâ ferè ætate edidit hoc titulo: *L'impiego del denaro*; Placuit hic viris cordatis omnibus, fuitque Romæ Bened. XIV. probante recusum nusquam tamen Theologicam suam scientiam luculentius Orbi literato probavit, quàm in historiâ suâ Theologicâ, de quâ quid Lectores duo jubilati, & F. F. Minimorum quondam Provinciales fenserint, operæ pretium est audire. (q) Novimus enim verò, inquit viri ambo gravissimi, inter cetera ejus studia primas tenere Theologicum, id quod ostendit, cum magnâ perspicuitate agitavit quæstiones nobilissimas contra viros literatos Pfaffium Germanum, Basnagium Hollandum, & Chandlerum Anglum; uti videre curvis licet ex opusculis à typographo ad Historiam Theologicam adjunctis, multòque magis apparet in illâ Historia, quâ Author Clarissimus præcipua Catholicorum dogmata, adjunctâ semper S. Scriptura, & Patrum tam Latinorum, quàm Græcorum consensu non sine studio immenso reddit manifesta. Habes hic, ut Ex generalis noster notavit, corpus doctrinæ Augustinianæ jam pridem desideratum; habes ipsius idiomatis interpretationem; habes veram originem, & historiam Pelagianorum, & semi Pelagianorum; perspicuèque deprehenditur, quàm imprudenter complures Critici Patres Græcos perstrinxerint, quamque iniquè propugnatae fuerint Propositiones Quesnelli &c. Quid alii quoque per Italiam, Galliamque viri hoc ipso de Opere censuerint, exposuimus quantum satis est, in Præfatione.

*Theolo-  
gorum de  
ejus his-  
toria ju-  
dictum.*

24. POSTREMUS, quem Maffejus *ὁ πολυγραφος* (itâ enim ipsum appellat Cl. Emman. Martinus epist. P. II.) edidit, partus hoc nomen tulit. *L'Arte Magica dileguata*; Ostendere hoc in libello conabatur, si rectè memini, translationes hominum de loco in locum non tam veras esse, quàm imaginarias,

(q) Bernardus Lupis, & Mansuetus Martinelli vide Confirmationem responsum datarum Anonymo. p. 337. Infra tunc i suoi studi sappiamo che il suo più accetto è quello della Teologia; come a fatto conoscere, riducendo à molta evidenza questioni nobilissime contra i signori letterati Pfaff &c. . . . Qui come il nostro Ex generale notò, il corpo di ritrova di dottrina, desiderato per gran tempo di S. Agostino &c.



fieri que phantasia à malo Geniæ variis artibus commotæ ope quod tamen si sæpe verissimum sit, semper tamen contingere pauci sunt, qui opinentur. Occasionem huic diatribæ dedisse creditur Monialis quædam Veneticæ artis accusata, ac damnata circa annum 1750. Opella hæc triformis instar Hecates triplici quoque vultu comparuit. Primo nomen erat: *Arte Magica dileguata*; alteri: *Arte Magica distrutta*; tertio demum: *Arte Magica annihilata* quod postremum Opusculum acutius demum, atque emendatius Veronæ prodiit.

25. EXTREMA jam Senecionem optimum urgebat ætas, cum instauratu- <sup>Extrema</sup> rus nonnihil vires profectus est Brixiam. Invisit ibidem amicos, inspexitque <sup>ætas.</sup> opus quoddam eburneum, quod asservabatur apud Eminentissimum Cardinalem Quirinum, habebaturque pro genuinis veterum Diptychis. Ut vidit, declaravit continuo non esse ex antiquis; quæ censurâ diluebantur illico conjecturæ plurimæ atque ingeniosæ, quæ fuerant impressæ. Ubi tamen accuratius paulò ebur hoc lustraverat genuinum in eo deprehendit *διπτυχον*, at nonnisi unicum, quod ut sibi imprimendum, ac notis illustrandum Cardinalis committeret, pluribus ab eo petiit, & facillè impetravit.

26. DOMUM reversus sensit morbos suos, atque invaletudines ingravescere. Quare Musis valere jussus honesto se dedit otio, sibi duntaxat, & DEO vivens: dum demum, comparato ritè ad supremam luctam animo, ex asthma, quod sensim coahuerat, religiosissimè, & magno bonorum omnium luctu propè octogenarius decessit. M. D. C. C. L. V. pridie Idus Februarii. - - Indictæ equidem pro ejus valetudine fuerunt Veronensi ab <sup>Mors</sup> Urbe preces publicæ, multisque sacerdotes hostiis pro tanti salute viri Deo <sup>exequiæ</sup> litârunt. Verùm evocare ad se Deus O. M. quàm terris porro relinquere ma- <sup>aliquæ</sup> luit maturum Cælo caput. - - Enunciata per urbem Viri optimi morte <sup>honores</sup> decretæ ei à Senatu fuerunt exequiæ publicæ, aliique honores funebres; in- <sup>publici.</sup> ter quos numerandum venit illustre admodum, honorificentissimumque Cenotaphium, & laudatio eidem atrato è suggestu habita. - - Postuerat absenti aliquando Academia Veronensis bustum marmoreum, cum hæc epigraphe: SCIPIONI. MAFFEJO. VIVENTI. ACADEMIA. PHILARMONICA. ÆRE. ET. DECRETO. PVB. LICO. Reversus è Galliâ Maffejus jussit id revelli, atque in locum abditum, atque reconditum deportari. Verùm ab ejus obitu continuo pristino repositum fuit loco. Immo Consilium Veronense statutam eidem decrevit marmoream, eamque publicam: Academia verò Philharmonica suo quondam membro, ac Præsidi cudi jussit numisma, opere elegantissimo. - -

27. NUNC reliqua, quæ ad vitæ institutum, mores, indolem, fortu- <sup>Vita va-</sup> namque spectant, strictim quoque exequamur. Cælibem semper vitam du- <sup>rio.</sup> xit Maffejus, aliamque, ut ipse de se fateatur, (r) in terris voluptatem sectatus non est, quàm quæ ex literis, Musarumque commercio petitur. In Veronensi Urbe *Ædilis*, seu ut Itali vocant *Provisoris* (s) munus gessit; rogatusque Sæculo hoc ineunte non semel fuit, ut Viennam Austriæ se conferret, Eugenique Principis res gestas Cæsareis auspiciis scriberet. Prætulit tamen tranquillum suum otium, illudque Aulico strepitu potius habuit; gratiis actis amplissimis Legato Cæsareo, qui Imperatoris nomine hanc ei spartam obtulerat. - - Numismata quæ domi seposita habebat plurima, supremis tabulis inter amicos partitus est. Regi Sardinia erat à cubiculis, & inter Aulae Bavaricæ Proceres *clavis auratæ Eques*. Erat insuper Socius Academiæ Berolinensis, Parisinæ, & celebriorum in Italiâ; de quibus omnibus incertum

(r) Jansen. nov. l. r. c. r. Scipione Maffei è persona, la quale altro diletto, che imparar non puo-  
va, e ripone però tutta la sua umana felicità nel passare quattro, o cinque . . . ore della mattina studiando  
per non rimaner privo . . . di tal diletto, senza del quale ogni gran fortuna à lui somma disgrazia, e singo-  
lar nera parebbe. (s) Provveditore.



Scientia  
et erudi-  
tionis  
fama.

erat, plusne illæ in Masseum, an contrâ in illas Maffejus splendoris refunde-  
ret. Linguam Italicam, Latinam, & Græcam callebat optimè, Hebraicam  
mediocriter; & gallicam sibi reddiderat familiarem. In idiomate vernaculo  
præstantissimis accensebatur scriptoribus. Latini etiam specimen non unum  
dedit in epistolis, ac Præfationibus. Commertium literarum habebat cum  
totâ ferè Europâ literatâ. Testantur id tum schedæ plurimæ ab obitu in ejus  
forulis repertæ, tum quoque ipsius ad alios, atque aliorum ad ipsum impres-  
sæ epistolæ. Quarum è numero quoque sunt illæ, quas Eruditissimus ille,  
omnisque Antiquitatis scientissimus Ecclesiæ Alonensis in Hispaniâ Decanus  
EMANUEL MARTINVS non semel ad ipsum exaravit; jurisque publici de-  
nuo fecit 1735. Misit ille Maffejo 1724. centum & Sexaginta ad Hispaniam  
pertinentia numismata, & quingenta quatuordecim antiqua epigrammata  
studio, ac labore suo collecta, eaque, ut ipse de se facetur, (t) partim  
avendota, partim quæ Collectorum diligentiam fugerant. *Quid enim ego, in-  
quit ibidem vir laudatus, morem non gererem viro tam eximie de republicâ lite-  
raria merito?* Similia plura in aliorum legere est epistolis, ac libris. Cl. Mu-  
ratorius erat pariter Maffejo amicissimus, propter communia studia ideoque  
etiam meruit contra impactas ab Anonymo calumnias à Maffejo scripto defen-  
di. - - In Patriâ totâque ditione Veneta quanti æstimatus semper summus  
hic vir fuerit, notum in vulgus est, satisque colligitur ex supra enarratis.  
Victor Amedeus Sardinia Rex consuluit ipsum de modo constituendi, ador-  
nandique Universitatem Taurinensem. Senator quidam Venetus rogavit  
quoque ipsius sententiam de reformandâ instaurandâque Patavinâ. Ipse Ro-  
manus Pontifex Bened. XIV. sæpius iussit meminisse Marchionem, contrac-  
tam olim inter ambos sese amicitiam jam esse sexagenariam.

Indoles  
ac genius.

28. INDOLEM demum nactus erat excitatam, ac vividam. In disputan-  
do acer erat, ac vehemens: rationi tamen, cum elucesceret, dabat manus.  
Capiebatur facillè oratione disertâ, & eleganti. Vasti vir erat ingenii, ac planè  
perspicacis, judicii admodum limati, omnis capax literaturæ, atque ad sum-  
ma quævis natus. - - Cum novi quid in re literaria, aut detexerat ipse, aut  
ab alio deprehensum audiret, gestiebat totus, omnibusque incedebat lætitiis.  
Non tamen mirabatur quid facillè, aut temerè; indagabat omnia acriter, ri-  
mabatur, suisque momentis expendebat singula, antequam ferrer sententiam.  
Rigidam proinde tam in Vererès, quàm recentiores crisin exercebat. Mori-  
bus erat comis, accessu facilis, sui negligens, atque in omni vitæ ratio-  
ne adeò jucundus, ac benevolus, ut hominis cujuscunque animum sine ne-  
gotio sibi conciliaret, atque adjungeret. Amicus erat sincerus, fuci omnis  
expers, nec lucri cupidus; plenus humanitatis atque officii; cujusquidem rei  
Sexcentos inter alios & ego testis sum, quippe quem nullis munitum com-  
mendatiis, nullo facinore celebrem, natione exterum, atque virilem vix af-  
secutum atatem non modò omni honoris significatione suis in ædibus profe-  
cutus est; sed & tricenis facillè ex eo tempore literis, iisque sua semper manu  
extremo etiam in senio exaratis honorare gravatus non est. - - Offensam  
condonabat ultro, magnoque animo. illud D. Paulini animo reputans apoph-  
thegma: *Vicem injuriæ reddere humana ultio est: At inimicos etiam diligere  
vindicta Cælestis est.* Ostendit cum sæpe aliàs tum maximè in placidissimis ad  
calumniatorem Anonymum responsionibus. Ædes ejus Musarum, ac Cha-  
ritum vocari domicilium poterant, adeò frequentes ibidem habebantur Aca-  
demiæ, & congressus literatorum. Ad quotidianos caterum sermones ad-  
hibebat amicos ut plurimum suos, eosque è multis lectissimos. Exterorum,  
ac præcipuè transalpinorum hominum pauci Verona transibant, quin Viri  
hujus videndi tenerentur desiderio. Mihi certè breve illud quod cum ipso

(t) Epistol. P. II, lib. VIII, ep. XXIV, ad Bern. Monfalconium Lutetiam.



Veronæ miscui colloquium, tantæque in illo eruditioni simul ac virtutis admiratio non levi sæpe incitamento fuit, ut vastum hoc *Historiæ dogmaticæ* opus nulla valetudinis, temporis, aliorumque negotiorum ratione habita, ad finem non finē magno meo labore intra semestre perducerem.

29. VULTU erat minimè deformi; liberali potius, & explicato. *Statura corporis.* Justæ staturæ, magnarumque virium, quas vita moderata, sobria, atque ordinata sarras, tectasque præstabat. Matutinas passim horas studiis, pomeridianas colloquio, eruditisque dabat sermonibus.

FORTUNÆ obtigerant quidem conditioni suæ pares, non tamen ampliffimæ. Nihilominus cum aut literarum honos, aut egenorum salus, aut Principum Virorum exigeret dignitas, desiderari nil patiebatur, quod ad decorem splendoremque facere posse existimaret. Est adhuc, erique diu in omnium memoria, quo apparatu ac pompa hæreditarium Baviaræ Principem quondam exceperit, quomodo ei in Amphitheatro, in quo & ipse dimicabat, *bas-tam puram* (u) obtulerit; quanto impendio ac sumptu Illustrissimo Nepoti suo adornavit nuptias. Huic quoque acceptum Verona refert egregium ac regium verè ædificium, quod in foro visitur, multumque à pulcro, concinnoque partium ordine Architectis placet. - - In libros demum, numismata, membranas, MSSa, & quævis Veterum monumenta impensas, ut diximus, fecit plurimas, omnibus testatum faciens, se non tam sibi, quàm literis & Republicæ vivere, dignus proinde, quam bonarum artium favitores, posterique omnes ex lapidario hoc nostro elogio cognoscant, mirentur, & ament.

(u) *Holla pura* dicitur, quæ sine ferro est, & signum est pacis. Gallicè vocatur *la Folle*, donabantur eâ milites, qui in bello fortiter fecissent. *Sueton. Claud. c. 28.* Uius earum etiam hodie est quandoque in ludis equestribus.

